



Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quomodò detractor teneatur ad restitutionem famae proximo ablatae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

in femore, non quiescit donec remouerit: sic stultus quiescere non potest, donec verbum quod audierit, alijs retulerit: similes sunt porco, qui prius os quam pedes coquinat, & ingrediens hortum, potius lumen quam flores inuadit. Sic est os detractoris, et si manus non vulnerat, tamen os laedit, & carpit inferiora proximi, id est, lutum: non autem flores, id est, bondates eius refert, sunt quoque similes Iudae, qui occulto signo Christum prodidit &c.

- Secundò, quum furtum sit spiritualis detractio,
 2. quod Dominus prohibuit Leuitic. 19. surdo (hoc est, absenti) ne detrahas vel maledicas. nam ut dicit Salomon Proverb. 22. melius est nomen bonum, quam diuitiae multae. Igitur qui furatur alteri famam, plus facit quam si aurum & argentum: vestes & alia fura. retur &cæt. Et quoniam peccatum non dimittitur, nisi ablatu restituatur, quia talis nondum dolet pecunias se interim dum retinet ablatum: ergo non potest consequi remissionem & salutem, nisi restituat & doleat: qui igitur, ut Gerson ait, laedit iniuste infamando proximum, tenetur restituere damnum illatum, & retractare id, quod falso imposuit, ita publicè & coram illis, sicut & coram quibus diffamauit: nam per bonam famam multa conciliatur bona apud populum, ut patet in concionatoribus, prælatis, gubernatoribus: & è diuerso per infamiam multa mala fiunt, nempe contemptus superiorum, inobedientia, &c. Ob eam igitur maximè causam Deus prohibuit, ne superioribus detraheremus, Exod. 22. At quidam inquiunt: Verum dico de illo, & non mentior. Respon. Deut. 16. præcipitur, Quod iustum est, iustè exequere: id est, habes caput & ordinem iudicij: illic appella & loquere, si quid iustum vel iniustum habes. Sed occulte & absenti & apud quos suis detrahere, hoc enome est peccatum. Sunt quoque tales detractores peiores ipsis canibus, lupis ac cæteris feris: nam illi deuo-

deuorant carnes viuentium, detractor autem non solum viuentes, sed etiam iamdudum mortuos atque fœtentes, dētibus detractionis rodit, & non sinit quiescere in pace, sicut orat Ecclesia pro defunctis.

Postremo, Apostolus Rom. i. inter alia peccata hoc quoq; vitium recensens, inquit, tales esse reiectos in reprobum sensum atq; damnatos, & non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus; ergo non solum detractores sed etiam auditores damnationem incurront: nam serpens detractor est, infecit naturam nostram in parentibus, Gen. 3. vnde & hodiē libenter audimus cōtra alios susurrātes & obloquētes. S. Augustinus hoc peccatum maiorem in modum detestabatur, ita ut neminē admissurus esset ad mensam, qui alijs detraheret, ideoquē & hos versus ipse mensæ suæ inscripsit:

*Quisquis amat dictis absentium rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.*

Est enim maxima abusio linguae, qua Deus hominem præ cæteris animalibus donauit, non vt proximum suum obloquendo seu maledicendo röderet, sed Deū suum laudaret, benediceret, gratias ageret, & proximum suum iuuaret. Quarè Deus aliquādò visibiliter punit talem abusum linguae, vt in hora mortis fiant elingues, vt nec loqui, nec peccata sua confiteri possint: & diues epulo in flamma maximè cruciatur in lingua, Lucæ 16. facit enim detractione odibilem Deo, & priuat nos regno cœlorum, 1. Ioan. 3. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, & lædit charitatem proximi, quæ omnia sunt maxima & periculosisima damna: sed hoc vitium in hominibus nemo domare potest, præterquam Deus. Iacob. tertio. Lingua nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena mortifero veneno lingua: in ipsa benedicimus Deum, & maledicimus homines. Sed non sic

NN 3 frates